



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XV. De Prædicatione Sancti Jacobi in Hispania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XV.

D E

Prædicatione Sancti Jacobi in Hispania.

Fide avita, potissimum in Hispania, tenetur, quod Sanctus Jacobus Apostolus, dictus Major, Zebedæi filius, in vastissimo regno illo Evangelii semina primus jecerit, atque Crucis labarum, simul ac religionis Christianæ fundamenta inibi, sua prædicatione, posuerit. Quod ipsum ultimæ Hesperia: incolæ ita firmum fixumque habent omnes, ut prope canonizatum fidei articulis adnumerent. Et, ne id gratis asserere videantur, quibus, utpote affirmantibus, incumbit onus probandi, nihil omnino intermitunt, quod huc conducere possit, ut factum cæteris quoque nationibus persuadeatur.

I. Universalis ac perpetua est, fuitque in Hispania traditio.

Religione Patrum multos servata per annos, quod Sanctus Jacobus Major, tempore persecutionis, occasione S. Stephani excitata, in illam Regionem sese receperit, Evangelium promulgaverit. Quæ constans traditio, omni memoria superior, satis putatur habere præsidii, ex communi omnium consensu,

nullo interrupta tempore, tali auctoritate pollente, quam nulla, nisi magna perveritas convellere aut infirmare poterit. Neminem verò contra tenuisse conatur probare Calpurnius Sanctius Soc. Jesu *Lib. de Advent. S. Jacobi in Hispan. tract. 2.* Accedit, quod Calixtus Pontif. Max. hanc traditionem veram & authenticam declaraverit. Cùm itaque maxima vis sit vetustatis, ut ait Seneca, ut cum novitate certat, illa sine dubio palmam obtinere debet.

II. Hanc S. Jacobi prædicationem in Hispania viri eruditione, & sanctitate conspectui suo etiam calculo ante plura sæcula consignarunt. Inter hos recenseri possunt Melchiorus Archi-Episcopus Hispalensis *de Vita & morte SSrum Venerabilis Bedæ in Collectaneis* Julianus Archi-Episcopus Toletanus in *Comment. ad Nahum Proph.* quos ex Bibliotheca Bavarica vetustissimis membranis inscriptos evulgavit Henricus Canisius, Turpinus Archi-Episcopus Rhemensis *Lib. de Gest. Carol. Magn.* Freculphus Lexovi. Episcopus *Lib. 2. Chron. cap. 4.* Walfredus Strabo

Strabo, Norkerus, Merellus Monachus Tigringensis, Zacharias Chrysolopolitanus, Otto Frisingensis Episcopus. quos ex recentioribus accedunt Vincentius Belloc. Biverius, Baronius in *in not. ad Martyrol.* &c. &c. Idem habetur in Breviario Romano, uti & Toletano; necnon in Martyrologio Hispanico, aliisque multis; quæ falsa, seu incerta, continere, Catholicorum nemo facile admittet. Colophonem addit insignis Hagiographus Solerius, qui in *Act. SS. ad diem xxv. Julii* fatetur de se, postremis observationibus ex S. Hieronymo aliisque LL. decerptis, nec ad hunc diem visis aut ponderatis flexisse eò, ut prædicationem S. Jacobi in Hispania ob memorabilem traditionem, antiquis testimoniis firmatam, omnibus adversariorum argumentis longè prævalere affirmet. Nec est, quod historia illa, tot sæculis nemine contradicente, credita, quibusdam sibi contrariis videatur implicita. Nam verissimum est, quod Plinius senior scribit. *Quemadmodum multa fieri non posse priusquam facta sunt, judicantur: ita multa quoque, quæ antiquitus sacra sunt, quia nos ea non vidimus, neque rationem assequimur, ex iis esse, quæ fieri non potuerint, iudicamus. Quæ certe summa insipientia est.*

III. Templum illud, dictum S. Mariæ de Pilar. Cæsar-Augustana: in honorem ejusdem Beatissimæ Virginis à Sancto Apostolo Jacobo erectum, usque huc conservatum, & in summa veneratione ab omnibus fidelibus, cunctis retro sæculis, habitum, sicut est antiquissimum monumentum hyperdulæ, in ipso Ecclesiæ exordio Sanctissimæ Deiparæ exhibitæ; sic luculentum est veritatis testimonium, S. Jacobum Apostolum in Hispania religionem Christianam plantasse. Hujus autem templi constructio est facta, sicut legitur in antiquissimis tabulariis, hortante ipsa Beata Virgine, quæ sese Sancto Jacobo super columnam jaspideam exhibuerat conspicuam; unde templo nomen illud S. Ma-

riæ de Pilar adhæsit: quod nunc nobilissimum visitur ad Hebrum Cæsar-Augustæ. Est autem ista apparitio tam constanti illius Ecclesiæ traditione recepta; ut perhibente Del Rio Hispano, Catholicus ibi non habeatur, qui de ea dubitet.

IV. S. Jacobi Apostoli ossa haud diu post illius Martyrium Hierosolymis ad Hispanos translata, atque in ultimis eorum finibus apud Gallæciam recondita, omniumque sæculorum decursu in maxima veneratione custodita, confirmant, quod Amplissimi regni incolæ illius defuncti Apostoli sibi vindicare voluerint membra, cujus prædicatione primò inibi lux effulsit Evangelica. Neque erit hujus prædicationis Chronologia anxius inquirenda: quandoquidem ea, arbitro Baronio S. Jacobi profectio in Hispaniam potissimum contingere potuit, quando, post necem Stephani Proto-Martyris, secuta est statim dispersio discipulorum. Cui non obstat, quod Lucas in *Act. Apost.* narrat dispersos fuisse discipulos præter Apostolos: id enim intelligendum venit de majori eorundem parte: sicut dum ibidem ait omnes discipulos fuisse per regiones Judææ & Samariæ dispersos, cum tamen constet inter alios Ananiam tunc temporis profectum esse Damascum Syriæ, ibique Evangelium prædicasse.

Nihilominus narratio illa de S. Jacobo in Gerusiam litterariam adducta, suisque examinata ponderibus, difficilem apud nonnullos criticos obtinet fidem. Etenim hunc Apostolum unquam in Hispania prædicasse, aut ibidem fuisse, quamplurimi ex modernis Scriptoribus celebrioribus credere detrectant. Atque imprimis Wilhelmo Estio, Christiano Lupo, Nat. Alexandro, aliisque non paucis videtur traditio illa popularis tam manifestis facta contradictionibus, ut vehementer debeat Hispanorum fides, qui illius nituntur opinionis, quantumvis inolicæ fundamentis cespitare.

I. Ex Actis Apostolorum liquidò constat; quod S. Jacobus Hierosolymis fuerit Martyrio affectus, jussu Herodis, ante divisionem Apostolorum; anno scilicet Claudii Imperatoris quarto, quando gentibus in Palæstina vix Evangelium coeperat prædicari: quia, ut hoc fieret, Apostoli congregati necdum decreverant. Quin Apollonius Martyr & Scriptor Ecclesiasticus refert apud Eusebium H. E. *Lib. 5. cap. 18.* se traditione accepisse, quod Servator suis mandaverit Apostolis, ne ante annum duodecimum Hierosolymâ discederent. Hoc est, ut inibi tam diu domicilium figerent, quo ad usque gentibus prædicarent. Igitur nullam veri speciem obtinebit, Sanctum Jacobum, Spiritus Sancti instinctu, Collegium Apostolicum deseruisse, & in arcto temporis in remotissimas regiones profectum, ubi nullum erat facturus fructum; vacuum proinde ad alios Apostolos, Hierosolymis consistentes, rediisse. Baronius quidem *loc. cit.* effugium in eo quærit, quod solis Judæis ibidem morantibus Christum annuntiaverit; sed ut gratis hæc dicuntur de Judæis tunc Hispaniæ finitimas oras incolentibus, quærit hic Estius in *Notationibus ad Act. Apost. cap. 12.* *Jacobus, quid in Hispania passus est? quid egit? Num ullam fundavit Ecclesiam (uti non factum concedit Baronius) aut illum reliquit successorem Episcopum, aut Presbyterum, sicut ab aliis Apostolis, ubi verbum Dei prædicaverunt, factum fuisse traditur.* Refert quidem Durandus *Rational. 7.* quod Jacobus, cum non posset nisi unum in Hispania convertere Principem, tandem redierit Hierosolymam: sed fides sit penes Authorem, qui hæc ex legendariis hausit. Aliis, rem penitus confidentibus peregrinatio suspecta redditur ex ipso fructu exiguo, minimè expectationi tam difficilis expeditionis correspondente: cum alios Apostolos fructum centesimum attulisse legamus.

II. Quando Episcopus Compostellanus in

Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. peregrinationem S. Jacobi Apostoli allegaverat, quo Primatum sibi in Hispania vendicare volebat, ab Archi-Episcopo Toletano, Roderico Ximeno validè refutatus fuit, qui post succinctam ac teretem Orationem, coram Patribus Concilii habitam, de prædicatione S. Jacobi, subjungit; se quidem de viris eruditis fideque dignis nil unquam de eadem percepisse, bene tamen à piis mulierculis, dum junior esset, relatum sibi fuisse. Concedit nihilominus jus Metropolitanum Anno 1124. ob corpus Sancti Jacobi ibidem sepultum, à Calixto P. R. fuisse colatum Antistiti Compostellano. Hæc leguntur in act. cit. Concil.

III. Gregorius VII. P. R. *Lib. 1. Reg. Epist. 64.* ad Alphonsum & Sancium Regem scribit, quod Paulus Apostolus, & deinde septem Episcopi ab Urbe ad instruendos Hispaniæ populos, directi sint; qui idola everterent, & fidem veram prædicarent: qui etiam sanguinis sui profusione Evangelii mentem irrigarunt, & fructum dederunt in tempore suo. Quod si Sanctus Jacobus ante hos in Hispania fuisset, aut ipsos septem Episcopos, ut nonnulli comminiscuntur, misisset, id certè Gregorius silentio nequam præterisset. Contrariam suam opinionem expressit Innocentius III. in *in Epist. ad Decentium.* Ubi scribit. *Legant in his Provinciis, nempe Italia, Gallia, Hispania & Africa, an alius Apostolorum, quam Petri Legati inveniantur, aut legatur docuisse: quod si non legant, quoniam nusquam invenitur; oportet hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à quo eos principium accepisse non dubium est.* Cum itaque nullus antiquorum, certæ fidei, Scriptorum, quemadmodum in horum lacubrationibus exercitatissimus testatur Estius *loc. cit.* referat S. Jacobum Hispanias vidisse, non Hyppolitus *libello de duodecim Apost.* non verus Author apud Oecumenium Apostolorum recensens præ-

prædicationes ; non Sophronius , neque Athanasius , Epiphanius , Cyrillus Hierosolom. Theodoretus , qui legationem Pauli Hispanicam disertè commemorat &c. rectè de tali Authorum profundo silentio infertur , prædicationem S. Jacobi in Hispania non semper , non ubique omnium pervasisse animos. Etenim silentium , non quidem unius alteriusve , sed universale , juxta regulas artis criticæ , fundat opinionem seu præsumptionem pro non existentia objecti controverti ; maxime tunc , quando , existente objecto , positiva in Scriptoribus ad rumpendum silentium reperitur dispositio , qualem hic in iis reperiri dubium esse non poterit. Hispanorum autem prætensionem infirmo niti iudicio judicant nationes , quæ faciunt in eis iudicium conscriptum.

Ad Primum Respondetur. Jactent Hispani , ad ravim usque , eorum medullis infixam traditionem , non hæc in præsentem Diæteram agere poterit : tum quia est citimæ antiquitatis , quæ post sæculum octavum invaluit ; tum quia tali minime nititur fundamento , ut eruditi & circumspediores fidem detrectare non audeant. Sit etiam antiqua ; nihil tamen veritati infert vetustas falsitatis præjudicii. Neque ideo verum censeri debet , quia antiquum ; cum sua sit errori vetustas ; & sæpenumero imponitur simplicitati credulorum sub larva vetustatis , qua detracta , non nisi commentum deprehenditur , & veritatem in lucem agit , adducitque dies ; ut priscum fert proverbium. Excessum credulitatis Hispanicæ mirantur alii , quam in narratione piarum muliercularum fundari prodit Hispaniarum Primas. Si verum , quod Calixtus II. P. M. illam traditionem confirmaverit , cur in confessu Patrum Concilii Lateranensis Archi-Episcopus Compostellanus ad sui juris prætensi probationem non produxit eam in medium ? Hoc enim , velut Jovis suffragio , palmam tulif-

set , omnique inter ipsum & Toletanum fuisset sopita controversia.

Ad Secundum Respondetur. Hic in albo lapide est amissa alba : ut loquitur Plato in *Charmide* , dum incerta probantur incertis. Liber de vita & morte Sanctorum , Isidoro , uti & Collectanea Bedæ , liber item de vita Caroli Magni Turpino falsò inscribuntur. Commentarius Juliani , an sit factus genuinus in incomperto manet. Quamcunque historiam oportet ex monumentis coævis accersere ; illa omni studio perscrutari , & reliquorum juniorum regulam facere. Quotquot autem allegantur obscuri nominis Authores pro prædicatione S. Jacobi in Hispania , mediæ ævi vix censentur ; qui , cum rem plurimis sæculis ante se gestam asserant , antequam audiendi , unde acceperint , debent ingenuè profiteri : quod , dum facere prætermittunt , ex detracta iis fide nulla provenit injuria. Historicis plurisque mediæ ævi accidit , ut , quod aliquis commentus est præclari nominis , cæteri minus cautè , sine delectu , exscribant , & tradant : hinc posterum sequuntur more captarum antecedentem gregem ; euntes , non quo eundem est ; sed quo itur , ut Seneca loquitur. Stomachantur non absque ratione viri graves & iudiciosi in hanc fingendi & historias conflandi licentiam ac transcriptorum oscitantiam. Nec potuit sibi temperare vir sensatus Ludovicus Vives , quin desuper suum aperiret sensum scribens de corruptis artibus. *Acta Apostolorum , Martyrum , denique Divorum nostræ religionis , & ipsius sive crescentis Ecclesie , sive jam adultæ , operta maximis tenebris , ferè ignorantur , tanto , sive ad cognoscendum , sive ad imitandum , quàm Ducum aut Philosophorum fructuosiora. Nam quæ de iis sunt scripta , præter pauca quedam , multis sunt commentis foedata ; dum , qui scribit affectui suo indulget , & non , quæ egit Divus : sed quæ egisse eum vellet , exponit : ut vitam*

dilect animus scribentis, non veritas. Evēre, qui magnæ pietatis loco ducerent, mendaciosa pro religione confingere; quod & periculosum est, ne veris adimatur fides propter falsa & minime necessarium; quoniam pro pietate nostra tam multa sunt vera, ut falsa, tanquam ignavi milites atque inutiles, oneri sint magis quàm auxilio. Hæc Vives doctus, & ut Miræus eum vocat, eruditus sui sæculi Philologus ac Criticus.

Ab eruditis fideque dignis nil unquam de S. Jacobi peregrinatione in Hispaniam se percepisse, Juliani in Sede Toletana Successor Ximenius publicè professus, ut supra dictum; non quia eruditorum monumenta minimè pervolverat; aut cum fide dignis hac de re non contulerat: sed quia iisdem nihil constabat. Breviarii Romani, etiam sua fit autoritas, ejusque præ cæteris omnibus habenda ratio, non tamen irrefragabilis est & definitiva, ita ut singula, quæ in eodem leguntur, à viris æquè piis ac doctis, tanquam certò definitiva recipiantur ea, quæ ad historiam spectant, atque difficultates non minimi momenti patiuntur: quæque viri religiosi ac judiciosi in futura aliquando revisione ad severiores Criticæ regulas expensa, ut olim alia quædam, omittenda prudenter præfagiunt. Ipsius Romani Martyrologii hac in re silentium, cum aliàs Sanctorum acta compendiosè recenseat, potissimum locorum & temporum circumstantias, quæ in conversione infidelium obvenerunt, eloquentius visum est, quàm populare opusculum, aut Baronii patrocinium. Opportunior occasio dari non poterat commendandæ hujus profectiois in Hispaniam, quàm die 25 Julii, quo ejusdem Apostoli festivitas in Ecclesia solemnè ritu celebratur, de qua procul dubio Author, quisquis ille fuerit, Martyrologii mentionem fecisset; si tunc Ecclesiam pervasisset, & Romæ præsertim probata fuisset illa Hispanis decantata raditio; à qua abduci non posse nemo mi-

retur. Sunt enim, asserente Aristotele, qui præjudiciis suis pertinacius, quàm docti assertis demonstratis adhærent. Nec Breviarium Toletanum, nec Martyrologium Hispanicum est ab Ecclesia universali receptum. Quæ in iis leguntur fidem indubitæ historiæ non inveniunt, si veritati contrarietur. Neque tamen hujuscemodi adminiculis indiget veritas; *cujus tanta vis est, ut Cæcero pro Cælio ait, quæ contra omnium ingenia, calliditatem solertiam, contra siclas hominum insidias facile se per se ipsam defendat.* Multiplici è contra, ut recipiantur, egerat suffragio Hyberæ naniæ, quemadmodum vocantur narratiunculæ Hispanicæ à S. Hieronymo in præfatione, quam præfixit Moyses Pentateucho.

Ad Tertium Respondetur. Fabulas, quæ amant sibi somnia fingunt. Justissimè olim conquestus fuit religiosissimus Ludovicus Granatenfis Lib. 5. de tradit. discipl. de historiis quibusdam in Ecclesia confictis; ut prudenter sanè & graviter illos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacis gesta Sanctorum farcire. Quæ ab Hispanis hic depromitur absque solida probatione & incontestabili testimonio, habentur relationes affectatæ, quibus proinde fides adstringi nequit. Elegerat Virgo humillima abjecta esse in domo Dei sui; quomodo ergo prudenter credi potest quod, in hac vita degens, jusserit, ut suo nomini templum erigeretur. Habemus alium sermonem Propheticius Virginis Magnificentis Deum. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ex qua beatam illam dicent omnes generationes. Quodlibet arbitrio Tullio, Lib. 2. de Divinit. Nihil debeat esse in Philosophia commentitiis fabulis loci; quis audebit illis vel minimum locum concedere in historia Ecclesiastica? Omnino providè Gelasius P. R. in Concilio Romano prohibuit, ne eas historicas amplectamur, quæ sine certo Authoris nomine circumferuntur, qualis hæc de prædicatione S. Jacobi esse censetur. Ad

Ad Quartum Respondetur. Sacras S. Jacobi reliquias sibi vendicet Ecclesia Compostellana, aut harum saltem reliquiarum partem, quandoquidem Galli, Hispanicæ gloriæ æmuli, Tolosæ in Ecclesia S. Saturnini corpus S. Jacobi Majoris unâ cum aliis Sex Sanctorum corporibus asservari jactent; & Lulitani Bragæ asservari caput illius miraculorum gloriâ illustre asseverent. Nihilominus initio sæculi IX. creditur inventum corpus S. Jacobi Majoris Iriæ in Gallacia, vel Compostellæ: quod etiam nudè & crudè, præter morem, refert Baronius in *Annal.* in quo tamen desideratur autoritas Synchrona. Quod autem dicitur corpus memorati Apostoli Hierosolymis occisi in lacera quadam Scapha per Ctesiphontem Episcopum, jussu Apostolorum translatum Iriam, deinde Compostellam, pariter probationem requirit; quam quidem ex Epistola Leonis III. P. R. delimit Baronius: At Tillemontius, emunctæ naris Scriptor, negat præsentas litteras extare, qui etiam *tom. 1. p. 3. Comment.* H. E. negat absolutè S. Jacobum unquam Hispanias adiisse. Non aberravit Tacitus, dum *Lib. 3.* scripsit. *Maxima quoque ambigua sunt; dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii verò in contrarium vertunt, & gliscit utrumque posteritati.* Melioris probationis defectum hac in re suppleat frequens populi concursus, ac perpetuus Christianorum illuc peregrinantium cultus, qui tot sæculorum spatio vix intertenti ac foveri potuisset, nisi per frequentia miracula, quæ Deus Sanctorum interventione evenire non permittit, ut stabiliatur cultus superstitiosus, aut suppositi corporis. Quæ ratione rigidissima illa Inquisitio Hispanica facile in illum animadverteret, quisquis incolarum Chorierii Historici Delphini auctoritate persuasus ediceret, corpus illud, quod Hispani Compostellæ asservant, esse ejusdem hominis beati, nomine Jacobi, ab Apostolo distincti. Glorificet gloriabunda

natio Deum, qui est gloriofus in gloria Sanctorum, quod reliquias Sancti Jacobi possideat, quarum translationis festum quot annis die 30. Decembris celebrat: sed de prædicatione ejusdem minus fidenter gloriari deberet. Communis quippe Italorum, Gallorum, aliorumque Scriptorum, in ipsâ sacris litteris fundata est opinio, quod S. Jacobus Hispaniam nunquam viderit. Et licet in Galli recentioris cujusdam historia Ecclesiastica à Religiosis Censoribus nuper eadem Romæ confixa fuerit sententia, necdum tamen de temeritate vel falsitate fuisse convictam, & ipsemet in Scholiis, secundâ curâ ex aratis, præterdit.

Cæterum quod Eminentissimus Annalium Author arbitretur, Jacobum potuisse tunc potissimum iter in Hispaniam instituisse, quod post mortem S. Stephani mox secuta sit discipulorum dispersio: id quidem admitti posset, se ipsa spectetur possibilitas: & alicubi fortè locum fortietur illud Nalonicum.

Est mihi pro facto sæpè quod esse potest.

Ac in rebus Historiarum non expenditur, quid tandem possibile fuerit: sed an, & quid gestum sit. Neque ex meris possibilibus de executione prudens ferri potest conjectura. Apostolos ante secundam persecutionem, quæ ab Herode contra Ecclesiam facta est, & in qua S. Jacobus capite plexus fuit, dispersos non fuisse confirmant S. Joannes Chrysostomus Theophilactus, pluresque alii antiqui Patres.

Denique nostro ævo communem causam suorum popularium suo noluit destitui subsidio P. Ambrosius Gardeboeus, Ordinis Carmelitarum, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & Provinciæ Toletanæ Provincialis in sua, quam non ita pridem vulgavit Historia Ecclesiastica; qui argumenta obstantia prædicationi, sicut & translationi S. Jacobi pro viribus

ribus solvere nititur. Argumenta illa, cum præcipuè in Authorum silentio fundentur, non magni aestimat; dicitque nullum proflus ex omnibus Historicis reperiri, qui non aliqua, etiam suo tempore gesta, omiserit; dum tractaret ea, quæ omisissis erant valde confinia: sicut Eusebius Cæsariensis in H. E. omisit inventionem S. Crucis & alia multa. Roderici Archi-Episcopi Toletani, qui vitam Alphonfi Regis, cognomento casti, scripsit, silentium Gardebolco videtur affectatum, quia Piographus credebat hanc Sacrarum reliquiarum possessionem Ecclesiæ Compostellanæ esse nimis gloriosam, cum qua ipse de Primatu contendebat. Ast cur Lucas Diaconus, deinde Iria Episcopus propè Compostellam, solum narrans, ut perhibet Aubertus Miræus, quæ idem Alphonfus Ecclesiæ Compostellanæ contulit, translationis tamen reliquiarum Sancti Jacobi Apostoli, quæ præten- ditur sub eodem Rege facta, nequaquam meminerit, nemo rectius divinabit, quàm qui putat Lucam Diaconum hoc non scivisse: idque ideo non scivisse, quod eo tempore non contigerit. In his obscuris observanda venit egregia Caroli Paschalis sententia *Lib. de virit. & vitiis*. *Crederè ubi opus est: nec item statim ac temerè*

credere; sed quidquid affer- tur prius à radicibus subtili- ter rimari. Denique nec omnibus omnia, nec ulli nibi credere, hi videlicet dicuntur esse sapientia nervi. Neque enim sapiens primis & levisissimis auditionibus movetur: sed assumpta prudenti diffidentia, id est, cautione, lentè & consideratè id, quod narratur, spectat.

* * *



CON.